

**Dissertatio inauguralis de mensibus gravidarum foetui innoxii ... /
praeside Hadriano Slevogtio ... pro licentia ... publico eruditorum examini
submittit Johannes Behme ... ad d. IV Martii MD CC XI.**

Contributors

Slevogt, Johann Adrian, 1653-1726.

Behme, Johann, active 1711.

Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Typis Gollnerianis, [1711]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/b3pzb5sq>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

2. D. R. V.
DISSERTATIO INAUGVRALIS
DE
ENSIBVS GRAVIDARVM
FOETVI INNOXIIS

Q. V. A. M.
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
D O M I N O
VILHELMO HENRICO
CE SAXONIÆ IVLIACI CLIVIÆ MONTIVM
ANGARIÆ WESTPHALIÆQVE &c.

P R Æ S I D E
D. HADRIANO SLEVOGTIO
HEREDITARIO in Ober-Rosla
D. D. ANAT. CHIRVRG. & BOT. P. P. ITEMQVE MEDICO
DVCALI PROVINCIALI
TRONO PRÆCEPTORE HOSPITE AC PRO-
OTORE SVO PLVSQVAM FILIALI OBSERVANTIA
VENERANDO

PRO LICENTIA
MMOS IN MEDICINA HONORES INSIGNIA
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
MAIORVM MORE RITE CAPESSENDI
PVBlico ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
IOANNES BEHME ANCLAM-POMER.
IN AVDITORIO MAIORI
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS
AD D. IV MARTII MD CC XI.

J E N Æ
TTPIS GOLLNERIANIS.

DISSECTATIO INAT-CVRAE

INSIBVS GRAVIDARVM
FOETV INNOXIIS

RECTOR MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINO

D O M I N O

WILHELMO HENRICO

SAXONIAE IVLIACI CIVIS
ANGARIAE VESTIMENTORVM &c.

P R A E S I D E

HADRIANO SEEVOGTIO

HEREDITARIO IN QVIBVS

D. ANAT. CHIRURG. & BOT. P. R. ITEM QVOD MEDICO

QVOD PROVINCIALI

QVOD PRAECEPTORE HOSPITIS AC PRO

QVOD PRAECEPTORE HOSPITIS AC PRO

QVOD PRAECEPTORE HOSPITIS AC PRO

PRO LICENTIA

QVOD IN MEDICINA HONORE INSIGNIA

ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

QVOD IN MEDICINA HONORE INSIGNIA

QVOD IN MEDICINA HONORE INSIGNIA

IOANNES BENNE ANGLAM-TOURNA

IV. ANDRORIO MAIORI

HONORIS ANTIQVITATIS

QVOD IN MEDICINA HONORE INSIGNIA

J. A. N. E.

QVOD IN MEDICINA HONORE INSIGNIA



2. D. B. V.

§ I.

Quamvis pleræque viventium operationes, a corpore non minus, quam mente venientes, ita comparatæ sint, ut earum veras causas, & modos inde procedendi explicare, arduum negotium, nec cujuslibet mortalium labor videatur: inprimis tamen sexus sequior, ubi a virorum actionibus recedit, naturæ scrutatoribus tam difficilia phænomena suppeditat, ut nec Hippocrates, etsi, ob excellentiam ingenii, divinus appellatus sit, humanis viribus satis fidat, & proinde τὸν περὶ γυναικείας φύσεως ὁρῶν χειρίζοντα, πρῶτον μὲν ἐκ τῶν θεῶν ἀρχεσθαι, *mulierum naturam recte tractaturum, primo omnium a Diis initium conatum sumere jubeat.* Quobis magni Præceptoris exemplo excitati, nequaquam auxilium cœleste Specimini huic inaugurali, vexatam inter Medicos materiam concernenti, impetrare negligemus, devotis potius precibus summum Numen implorantes, ut vires, ausibus sufficientes, nobis benignissime concedat.

§ II. Recepimus enim in nos, quod ex inscriptione dissertationis patet, demonstrare, menses gravidæ,

sine embryonis noxa, fluere posse. Quod ipsum, ne illis paradoxum & Hippocratis effato e diametro adversum videatur, qui Sect. 5, aph. 60, ἢ γυναικὶ, ἐν γαστρὶ ἔχοντι, αἱ κατὰ γαστρίαν πορεύονται, αὐτὰς τὸ ἐμβρυον ἐκτρέφειν mulieri gravida purgationes menstruas prodire, foecumque simul valere, impossibile pronunciari legent: ideo mox in limine hujus διαλεξιῶν a proterva contradicendæ libidine, & inepta leoni mortuo insultandi pravitate nos alienissimos haberi volumus. Neque enim temerariæ refutationis causa, sed potius, ut Pergameni, aliorumque sapientum venerandi Senis interpretum exemplo contractioris dictionis sensum quodammodo explicemus, verba facere in præsentia animus nobis est.

§ III. Cum autem, iudice Theod. Craanen, de *Homine*, c. 164, *materia de natura menstruum difficilissima, unde se autores extricare nequeunt*, existat, neque tamen sine diligenti eorundem expositione, quicquam solidi in hoc negotio decerni queat; hinc evagamini paulisper ab instituto, & ex Physiologorum monumentis, quæ materiam eorum & simul originem ostendunt repetemus, visuri quid & quales menses sint, ut unde isti fluant, & ob quem finem cognoscamus.

§ IV. Non diu igitur, momenta rerum insectantes, evolutioni etymici immorabimur; cum sufficiat pro tempore, nosse, vocem κατὰ γαστρίαν, in utroque numero passim apud Hippocratem & Græcos alios extantem haud unam rem exprimere, diversosque ejus sensus, præter alios, imprimis Dietericum, in *Jatroco Hippocr.* pag. 571, & Foesium *Oeconom.* pag. 180 & seqq. collegisse: ut nunc sciamus, in latiori ambitu eam quamvis quorumcunque humorum, corpori molestiam parientium egestit

egestionem, a natura, recte maleque operante, institutam; in arctiori acceptione autem, per medicamenta magis excitatam expulsionem, & denique strictissime, verbis Galeni, τὴν ἐκκρίσιν τῶν κατὰ μῆναῖν indicare: quæ Æliano καὶ θάλασσις ἐπιμήνιος audit, aliis absolute τῶν μηνῶν, ἐμηνίων & γυναικείων nomine venit; ut medicamenta, menses ducentia, inde ἐμηνναγαγὰ & καθαρτήρια vocentur.

§ V. Notat hoc pacto latinum nomen *menstris*, vel *menstrum* potius, (cum id usitatus in pluralitatis numero veniat, sicut Synonymum ejus, *menstruum* & *fluxus menstruus*, singulariter magis usurpatur) Brunoni, in Lexico, *excernendum vel excrementum naturale sanguinis, in sexu feminino, ætate adulta, ut plurimum per stata mensis lunaris, sive quatuor septimanarum intervalla repetens*. Quam actionem ab anima, h. l. sub naturæ & facultatis naturalis schemate agente, institutam, merito Franc. Sylvius, Prax. lib. 1, c. 40, p. 282, *naturalem*, vel, ut Medici loquuntur, secundum naturam dicendam esse, serio inculcat; dum § 19, omnem *hemorrhagiam aliam, sive sponte accidat, sive fortuito eveniat, sive arte producat, sive noxia sit, vel utilis, præter ordinarium naturæ cursum semper contingere, nec a perfecte sanis expectandam, nullumque sanguinis effluxum, præter menses & lochia, naturalem esse* scribit.

§ VI. Clarius ipsam *materiam* τῶν καθαρῶν Laurentius, Anatom. lib. 8, cap. 3, & Riverius, Instit. lib. 1, S. 7, c. 2, nominant; ubi sanguinem menstruum *ultimi alimenti partium carnosarum corporis excrementum* vocant. Siquidem hoc prædicatum bigæ isti liquorum, per sanguiferas lymphaticasque venas ad cor reffluentium, recte tribui, facile concedet, quicumque consideraverit,

per arterias non tantum plerisque glandulis, aliisque organis, segregationi & excretioni utilium inutiliumque humorum dicatis, objecta sua advehi; sed etiam potissimum per universum corpus defæcatas, & in limpidissimam gelatinam excoctas particulas chyli, *liquori veterum innominato* respondentes, & genuinam nutrimenti materiam constituentes, una cum *sale quodam valaxili oleoso*, (quod per intestinum & progredientem massæ sanguineæ motum, ex rubra ejus parte evolutum, *spiritus vitalis* nomen gerit) dispensari, inque subtilissimos tubulos & poros carnosarum pariter, ac reliquarum partium solidarum deportari, ut omnibus earum punctis nutriendis alimentares guttulæ, in modum *roris* aspergantur, & non quidem per quoddam *cambium*, ut olim loquebantur, sed ope elateris *τῶν πνευμάτων ἐνορμόνων*, *vitalium* puta & *animalium spirituum*, per singularem solique Creatori adhuc notum mechanismum, apprimantur, agglutinentur & assimilentur. Ubi quidem, ita volente sapientissimo Opifice, aliter fieri nequit, quam ut sanguinis rubicundæ & aquosæ, salinæque crassiores portiones, utpote ad alendum minus aptæ, postquam, dicto modo, *τὸ γλιχρὸν* nutrimentum maxima ex parte deposuerunt, cum reliquis hujus adhuc magis excoquendis moleculis, in radicum venosarum, ramulis arteriarum numero non cedentium, ostiola, ubilibet præsentia, & poros earum laterales transeant, & hoc pacto, respectu ipsius operis nutritionis, omnino non tantum, secundum Laurentium, *partium carnosarum*, sed rectius quarumcunque nutritarum *excrementum* appellentur.

§ VII. Recurrit autem hujusmodi venosus sanguis ordinarie totus, nec illo quidem excepto, qui per por-

tan

am ad hepar abit, ad cordis dextrum thalamum, ut, vetriculi inanis instar, nova alimenti materia ex adventante chylo oneretur, & hinc in pulmonibus æthereis elateribus instructus, denuo trans sinistrum ventriculum in arterias pellatur. Id quod certo modo etiam de lymphæ, per sua vasa propria cor versus properante, est intelligendum. Cujus ortum non æque, cum clarissimo quodam viro, ex sero tenui, a sanguine, in venis segnius, quam in arteriis eunte, & hinc per moram trans vasorum poros exsudante, derivandum esse ducimus: cum potius credamus, ipsius unam partem nervorum fluidum, ex horum tubulis elapsum, & vigore suo destitutum, (quod præinde Sylvius effætos spiritus animales vocat) dare, alteram vero istud humidum largiri, quod in ipso momento nutritionis, ex alimentaris elatinæ guttulis, jamjam in *gluten* antiquorum, id est, ex fluiditatis statu in solidam nostri corporis substantiam transeuntibus, secedit, & ceu excrementum, corpori ad hoc utile futurum, in ostia & poros ductuum lymphaticorum, tantum non ubique venas sanguiferas comitantium, absorbetur, sanguini reddendum.

§ IIX. Est hæc solennis, & a puncto saliente ad extremum vitæ halitum continuata humidi vitalis circutio: haud ita tamen comparata, ut istud eadem quantitate per venas ad cor reducatur, quæ per arterias ex eadem est eductum. Dum enim liquor, prorsus heterogeneus, per tot viscera decurrit, multæ ejus partes, ad melioratam corporis nutritionem minus adhibendæ, ad usus alios abripiuntur, ut in diversimode constructis officinis, spiritibus animalibus, salivæ, bili, semini, lacti, urini, transpirationi insensibili, aliisque excrementis materiam

teriam suppeditent. Neque hæ quotidianæ, & serum potissimum concernentes erogationes, sanguinis imminutionem terminant, quo minus tota ejus massa, rubicundam quoque partem comprehendens, si vel mole ex assumtis, ultra quam vasa eam ferre possunt, aucta est aut magnum spiculorum irritantium numerum in poris suis fovet, naturam (vel si mavis animam, aut facultatem expultricem, aut archeum, aut denique quodcunque aliud idolum, post Deum immortalem, corpus nostrum regens atque moderans) ad depletionem ejus, quod molestum est, compellat. Hinc sanguinem ex naribus, trachea, stomacho, ano & vesica, sponte & cum euphoria, in utroque sexu, ruere videmus: idque nunc sine ordine & dimensione ponderis, nunc stato tempore & determinata fere quantitate.

§ IX. Inprimis autem molliori sexui, fatali quadam lege, cruentæ ejusmodi excretiones accidere consueverunt: quarum naturam cum rimari occeperimus, ordinis tractationis nos ad fontes detegendos ducit, ex quibus isti fluunt; cum autores de iisdem diversimode loquantur. Pro utero sentit nobilis Batavorum anatomicus, Regnerus de Graaf, & assertionis suæ potiore rationem emblematum in gravidis cessatione promittit: quod illi tunc per internum ostium matricis, post conceptionem clausum exitum non amplius inveniant, per quod antea prodierant. Deinde etiam dolorem, instantibus iisdem, lumbos exercentem, & multitudinem vasorum, fundum magis, quam cervicem amplectentium, ipsumque periculum abortus, gravidis ex fluxu menstruo timendum, in medium adducit, & tandem per testimonium Vesalii atque Roderici a Castro, se ex uteri prolapsi ostio cruorem stillantem

lantem suis oculis vidisse asserentium, robur argumentis conciliare gestit. Accedunt ipsi, qui lochiis & catameniiis materiam eandem assignantes, utrisque etiam uterum communem excretionis locum tribuunt, & ex hoc ovulum imprægnatum non satis cito nutrimentum accepturum esse putant, nisi vasa, in ejus cavitatem desinentia adessent: eadem vero alio tempore mensibus inseruire ajunt.

§ X. Contra hos insurgunt omnes illi, qui ejusmodi argumenta exceptione haud carere arbitrantes, utero repudiato, solam vaginam genuinam *καθαρσίαν* sedem statuunt: cum istius firmum & compactum corpus affluxum liberaliorem sanguinis in constricta sua vascula ægrius admittat, quam vaginæ laxior & porosior substantia; inter cujus tunicas copiosæ venæ & arteriæ dispergantur, & a menstruali orgasmo facile aperiantur. Citant quoque cavitatem uteri, foetu vacuum, adeo exilem, ut nullo modo grumos sanguinis, nucem, ovum, imo pugnum suo ambitu æquantes, capiant; quibus omnibus tamen collum facile locum dare possit. Est inter ita sentientes, vir, dum viveret, doctissimus, Christ. Jo. Langius, qui in *Physiol. thes.* 37, p. 219 & 224, viros celeberrimos, Pisonem, Charletonem, Bohnium, Franc. Bayle, Muraltum, Harderumque sibi faventes habens, distincte non solum ad Graßiana argumenta respondet, sed etiam in infanticida, ab excellentissimo Bohnio dissecta, cui die mortis menses fluxerant, uteri cavitatem puram, vaginam autem totam cruore conspurcatam observasse scribit; qualem jam ante dimidium seculum Carolum Pisonem, & semetipsum prope Jenam atque Wittebergæ vidisse, excell. Bergerus perhibet, c. 20, de Nat. hum. p. 252.

§ XI. Pleraque hæc illi haud negant, qui mediam inter discrepantes has opiniones viam nobiscum eligentes, eos ita conciliari posse sperant, ut neque uterum, neque vaginam excretionem menstruam recusare pateat; modo non promiscue observationibus, si vel maxime cunctæ fidem historiarum mererentur, nimium tribuatur, & a singulari unius alteriusque individui exemplo, ad universam speciem, aut ex unius circumstantiæ & phænomeni affirmatione, ad alterius, nullam contrarietatem aut contradictionem inferentis, negationem conclusio formetur; sed iusta potius personarum atque temporum ratio habeatur.

§ XII. Hinc si omnino autoritatibus pugnandum esset, ex Hippocratis libris de Nat. pueri, Morb. mul. Sterilitate item & Superf. aliisque ostendi posset, *mensēs ex utero quoque venire*; cum ab ejus statu p. n, & imprimis ἡ σωματικὴ ἰσχυρὰς, ut os internum vocat, mala conformatione supprimantur. Quod ipsum, verbis Libautii, in explicatione aphorismi, in superioribus memorati, *verum esse non posset, si major pars sanguinis ex cervice uteri, non ex ejus collo flueret*. A qua sententia nec Galenus etiam alienus est; quando menstruum, si id in gravidis prodierit, ideo ex colli venis provenire docet, quia secundinæ a vasis uterinæ cavitatis pendent. Eo ipse enim satis clare innuit, in non gravidis ex hisce illud scaturire. Id quod disertis verbis Laurentius, l. c. ita declarat: *Via, huic expurgationi dicata, sunt vena uteri & uterus ipse. Vena ab hypogastrico & spermatico ramo ad uteri fundum & cervicem excurrunt. Per cervicis venas in gravidis, per alias in virginibus, & iis, quæ utero non ferunt, fluit sanguis, non per diapedosin, sed per anastomosin. Cur autem*
per

per uterum expurgetur sanguis, id mira nature providentia factum puto, ut scil. huic itineri adsueta natura, statim, conceptione facta, ad foetus nutritum & generationem accurrat sanguis.

§ XIII. Ut proinde divisum inter uterum ejusque collum in hoc negotio officium, antiquos pariter ac medix ætatis Medicos statuisse pateat. Quibus nec modernos repugnare, ex Craanen's, l. c. p. 726, utrumque locum admittente, discimus: Cl. Boerhaven, Inst. thes. 467, loco circa uterum, intra uterum & in vagina cruorem menstruum exire scribit, Leoque a Leevvenvald, in notis ad semel iterumque citatum aphorismum, alium sanguinem ex uteri cavitate, alium ex vasis, uterum cingentibus, aut etiam ab his, quæ hæmorrhoides uteri excitant, venire asserit. Quibus etiam Jo. Freind in Emmenologia accedere videmus. Quamvis enim c. 4, p. 22, non nisi per uterum menses exitum sibi querere, ex multitudine vasorum colligat, mox tamen c. 5, p. 31 concludit, aliquando ab utero, aliquando a vagina, sæpius tamen utrinque menstrua fluere; ita tamen, ut in iis, quæ pepererunt, propter vias liberius patentes, frequentius, quam in virginibus, ab utero emanent.

§ XIV. Quibus ita se habentibus, non est cur, pro vagina sola contendentes, tantopere firmiorem uteri substantiam, § X in medium adductam, urgeant: cum ea fibris contractilibus & valde distractilibus (ut Boerhaven, thes. 462, loqui amat) sit instructa, ut non minus sanguini in numerosa vasa atque poros admittendo, quam eidem intra cavitatem suam, per plurimos exiguos ocellos, a Bergero, lib. cit. p. 251, memoratos, impellendo, aptissima existat.

§ XV. Quod etiam ad objectionem mox sequentem, ex angustia genitalis arvi sumtam, applicari potest. Hæc enim uti a foetu atque mola sensim valde ampliat, ita tempore menstruali eam sanguini, in naturali statu fluido, inibique collecto, in p. n. autem in grumos, diversæ magnitudinis, coagulato, spatium concedere, ex modo egerendi verosimile evadit. Sicut enim in illis, quibus ἡ καὶ θάλασσις ἐπιμήνιος potissimum ex vagina vasis venit, ea in naturali statu blando fluxu prodit: ita quamvis subinde cruor ab admissio frigore, aut animi pathemate, in rugosa ejus cavitate subito subsistens, in muliere sedente atque decumbente in grumos coalescat, hi plerumque tamen assurgenti atque procedenti promte excidunt: quod multo aliter in illis, quæ lunare debitum ex utero persolvere tenentur, fieri consuevit. Hæ enim raro sine tristiti sensu istud præstant. Cum nimirum sanguis, orgasmo consueto in matricis substantia fibrosa turgens, ex hac in ejus cavitatem, & porro in vaginam, per os robustum, arctum, & mucoso limo oblitum egerendus sit, ideo fluidus etiam impulsore aliquo robusto, & partium continentium ac vicinarum motu tonico aucto, spasmodicaque interdum & dolente constrictione opus habet: quod si vero idem intra uterum in grumos condensatus fuerit, tunc plerumque, præter dictos motus, in lumbis quoque, iliis, & regione hypogastrica tormina non minora excitantur, quam ubi embryo aut mola expellenda sunt.

§ XVI. Ex hisce nobis, aliud agentibus, innotescit ratio, cur multæ foeminæ, antequam pepererunt, tam durius a mensibus afficiantur, eosque, postquam per gestationem atque partum vasa uteri ejusque orificium ad receptionem & excretionem sanguinis præparata sunt, longe

longe mitiores experiantur. Deinde patet quoque, moram hand æque firmum virginitatis læsæ signum esse, ut nonnemo arbitratur. Siquidem cruorem, menstrualis tempore ex utero rejiciendum, per moram in carnosam, aut potius polypo similem massam spissari posse, nemini incredibile videbitur, cui sedulitas naturæ, qua in producendis & conservandis ejusmodi monstris, & ex errore natis corporibus utitur, non ignota est.

§ XVII. Quo minus autem, posita hæcenus duplici τῶν κατὰ μὲν τὴν σκατὺρ ἰγνὴν, uteri τῶν ἀντιπροσώπων, § X citatarum, incruenti deprehensi, idem viscus in cunctis aliis mulieribus ab onere menses egerendi eximant, præter alia, hoc quoque obstat, quod in allatis exemplis a p. n. statu, in cadaveribus, aliquot post mortem horis, perlustratis, ad naturalem, & qualis in viventibus is fuit, vix tuto argumentari liceat. Siquidem incertum adhuc manet, annon in ejusmodi subjectis, vegeto, dum viverent, corpore, & integro ejus partium tono pollentibus, hinc per laqueum aut undas, quibus infanticidæ ut plurimum suffocantur, interemtis, fibrosus fundus uteri spasmodice, & per ultimos conatus expultricis facultatis strictus, quicquid adhuc cruoris in sua cavitate habuit, (ipsa tunica interna glabra, & situ ostii declivi egestionem haud leviter faventibus) in vaginam proximam penitus expulserit. Magnam quippe egerendi vim huic organo, & robur, contenta sua expellendi, ad extremum vitæ punctum durans, datum esse, tot foetus vivi atque mortui, ex viventibus matribus prodire recusantes, postmodum autem inter defunctorum crura deprehensi, attestantur: quos a Valerio Max. Cornario, Bartholino, Hildano, Rolincio & aliis, a Morono, in Direct. præf. p. 350, &

Garmanno, p. 262, de Mirac. mortuor. nominatis, de scriptos legere datur.

§ XVIII. Ut proinde ex absentia cruoris, in laudatis uteris annotata, non certius eorum statum, quem ante mortem habuerunt, determinare liceat, quam si Dr. Præses cum aliis adstantibus putare voluisset, hominis robusti, per vomitus aliquot librarum sanguinis, tridui spatii enecti, ventriculum, tertia ab obitu hora cultro adaperit, durante vomitione non ultra octo vel decem guttulas sanguinis continuisse, cum non plures intra contractas ejus rugas observarentur, nullumque, præter eas, in substantia tunicarum vulneris, aut aperti vasis vestigium occurreret. Aut quis demum est, qui in dissectionibus mortuorum frequenter occupatus, non plus simplici vice thalamos cordis magnis vulneribus extinctorum, *arcta systole constrictos & cruore omni prorsus vacuos, & quasi aqua diligenter elutos*, se vidisse recordetur, & hinc, instituta inter horum asperam, innumerisque cuniculis excavatam superficiem internam, atque uteri lævem cavitatem comparatione, asserere detrectet, longe facilius potuisse in morientibus sanguinem ex hac deorsum fluere, quam ex illis in altum premi, & ex tot diverticulis penitus expelli.

§ XIX. Quod si vero quispiam pertinaciter asseruerit, in exemplis, § X allegatis, purgationem non nisi per vaginam factam esse, tunc id saltem nobis dari postulabimus, aut vasa colli in istis subjectis excretioni magis, quam uterina apta fuisse, aut minorem liquoris expellendi quantitatem non æque duobus excretoriis indiguisse. Has enim atque similes condiciones lubenter amplectuntur, qui de fontibus mensium in gravidis quæsi, non

non solum ex commentario Hollerii, in toties citat. aphorism. ad Galeni mentem, a nobis § XII adductam, uteri interna vasa per secundas obturari, sed ipsius quoque ostium post conceptionem arcte claudi, ideoque tunc menstruum non amplius ex cavitate ejus, sed ex solo collo expectandum esse ajunt. Quibus tamen prom- te respondemus, nunquam matricis totam superficiem in- ternam, sed plerumque tantum fundum, aut aliam ejus- dem plagam a placenta occupari, nec venas omnes ita obferari, quo minus adhuc plurimæ earum liberæ remane- ant, ut per eas excretio istius, quod in corpore superflu- um existit, continuetur. His accedit, ipsum Hollerium, au- toritate Coi motum, non diffiteri, in quibusdam gravi- dis os uteri effluxuris catameniis patere: quod certe nec tunc clausum esse liquet, quando uterum gestantes, extra menstrui fluxus tempus, sanguinem aut turbidum liquorem ex genitatibus profundunt, idque interdum satis diu an- te partum: ut nulla suspicio locum habeat, ibi placen- tam ab utero secretam, hic autem membranas foetus ru- ptas esse: cum hæ postmodum in enixu integræ depre- hendantur, & hamorrhagia sponte, aut per medicamen- ta & quietem ægrotantis cesset: quamprimum scil. mo- les sanguinis sufficienter imminuta est. Quod ipsum, si placenta læsa esset, præsentem foetum, ægrius contingeret. Fit insuper sæpenumero ejusmodi effusio non pedeten- tim aut stillando, ut ipsi liquores ex vasis glandulisque colli exsudasse videantur, sed ἀθρόως καὶ βίαιως; deinde in majori quantitate, quam cavitas vaginæ caperet. Ac- cedunt insuper dolores, quibus conatus uteri, non ve- ro vaginam opus habere, supra asseruimus.

§ XX. Non est quoque hoc loco silentio præter- eun-

eundum, mulieres, quando post editum foetum & lochiis rite fluentibus, nulla praesente causa, nihilominus ventrem tumentem retinent, & tandem, cum exquisitis doloribus, grumos sanguinis duos, male coloratos olentesque excludentes, se *molam cruoris*, einen *Bluth-Schuss* / gestasse dicunt, haud semper iuste a Medicis, coagulatas istas massas ex lochiis deducuntibus, rideri: cum rationi non adversum sit, statuere, purgamenta partus ex regione uteri, antea cum placenta copulata, ruere, grumorum autem talium sanguinem aliquamdiu ante partum ex parietum, a secundinis liberorum, vasculis sudasse, & per ostium uteri, a foetu grandiori incumbente clausum, exitum non invenientem, in substantiam solidiorem coaluisse, & tandem, per moram, in superficie putredinem cum foetore & pravo colore concepisse; quales lochiis, bene constitutis, minus competere, ex Hippocrate discimus, qui ea sanguinem, ex recenter mactata victima fluentem, referre scripsit.

§ XXI. Hæc manu nos ad causas mensium invenendas ducunt: quas dum Brunonis Lexicon non minus pie, quam secundum fundamenta physica, a *Creatoris sapientissimo instituto, & turgescente sanguinis copia, quam natura diutius tenere nequeat*, derivat, haud obscure docet, menses ab humorum *quantitate potissimum*, & hinc etiam ab eorum *qualitate* excitari. Quod quantitatem attingit, de ea dudum in superioribus verba facta sunt: quibus minus obstant, quæ, post Fernelium & Charletonem, Francisc. Bayle, Inst. tom. 3. p. 582, de *plenitudine sanguinis, menses non æque producente*, affert; cum, adhibita distinctione inter plenum & superfluum, simulque turgens, omnis difficultas tolli, nec Helmontius a vero a-

lie-

ienum statuisse videatur, quando l. c. p. 688, mulieres, quanquam *multo minus, quam viri edant atque bibant, pluri tamen cruore scatere* scribit.

§ XXII. Est enim *commune* huic sexui, non solum tota massa liquidi, quam indefinenter ex assumtis generat, ad conseruationem sui corporis, iustam suam molem iam adepti, vel mox adipiscentis (ut pubertatis tempore ut plurimum contingit,) haud indigere, sed præterea, ob perspirationem insensibilem, in Sanctorii trutina minorem, quam in viris observatam, humores ad *pletboram* usque cumulare, & proinde, quicquid superflui habuerit, id plerumque definito tempore per genitalia ejicere. Sunt enim istæ partes tot flexuosis arteriarum ac venarum tractibus, mirisque anastomosibus instructæ, ut excell. Bohnius, Prog. 12, Circ. Phys. nullibi talem vasorum sanguiferorum implicationem sese observasse fateatur. Estque hæc figura ipsis a creatore data, ut eorum longitudo in angusto circa uterum spatio comprehendi possit, & postmodum cum isto, a crescente foetu ampliato, sine ruptionis metu, ea extendantur. Magnæ itaque molis sanguinis capacia existunt: quia nec circumfusa copia pinguedinis, nec musculorum firmior substantia parietum eorum expansioni obstat. Non etiam parum huic rei declivorem locum genitalium, per quem primæ quoque & secundæ coctionis officinæ repurgantur, conferre credimus.

§ XXIII. Num' autem, quod Freindio placere, l. c. p. 22 legimus, magnæ arteriæ descendens truncus, menstrualis fluxus ergo, in foeminis *multo amplior*, quam in viris sit, in præsentia haud temere affirmabimus: donec repetita inspectio utriusque sexus individuorum, *eadem*
C *mole*

mole corporis pollentium, nos certiones reddat. Ubi obiter notamus, ex habitu externo corporis non æque magnitudinem vasorum æstimandam esse: cum inter ipsas foeminas sæpenumero pusillæ, ut fertilitate, ita multitudine quoque sanguinis, & quod consequens ejus est, vasorum amplitudine filias gigantum superent, idemque in omnibus macilentis, cum obesis comparatis, locum habeat.

§ XXIV. Longe minus probabile videtur, situm perpendicularem dicti vasis menstruali fluxui peculiariter favere, & non leve inde argumentum nasci, cur bruta mensibus destituantur, quod scilicet arteria in iis hori ronti parallela sit. Quamvis enim liquor quilibet ex alto per *canalem rectum* ruens, suoque pondere naturaliter deorsum tendens, longe magis inferiorum portionum exitum promoveat, quam alius, per obliquum, aut leniter declivem ductum fluens: id ipsum tamen ad arteriam aortam non æque applicari potest: quia hæc neutiquam recto tramite procedit; sed simul ac, ex corde surgens, versus spinam dorsi vergit, non solum ibidem ad acutum angulum deorsum incurvatur, sed inferiores quoque ejus ramuli, ad genitalia dispersi, admodum transversa ex trunco magna via prodeunt. His accedit, contentum sanguinem per eam non libere decurrere, sed a corde fortiter impulsu fursum pariter ac deorsum in omnes plagas corporis cogi: adeo, ut omnes foeminæ eadem facilitate, qua pleræque per uterum solent, catamenia ex naribus, faucibus, mammis aliisque locis corporis ejicerent; si universi Conditor in homine alium locum ordinariæ depletioni destinasset. Vasa autem, brutis horizontaliter implantata, menstruas excretiones non impedire, simia & raja probant, quæ menstrua manifesta pati ajunt; quia sanguine abunde

abundant: cum in reliquis animantibus genitalia parcius tantum, nec alio tempore, quam quando veneris oestro laborant, cruore tingantur; quia non ultra necessitatem vasa sua eodem implent.

§ XXV. Diximus § XXII, *menstrualem cruoris per genitalia imminutionem* foeminis *communem* esse; cum vix eam *propriam* iisdem assignare liceat. Occurrunt enim hic quoque frequentes a consueta via aberrationes, & luculenta *αυτομαθολογίας ἢς φύσις*, vel, si mavis, animæ in oeconomia animali, vi mechanismi partium, libere agentis documenta, ut non tantum multæ mulieres, immunes ab ejusmodi excretionibus manentes, bene vivant, matresque fiant: sed inter mares etiam non pauci per ani vasa menstruales esse soleant: neque hoc nomine sexus delicatior habeat, cur glorietur, naturam per cruentationem genitalium majori sollicitudine conservationi sanitatis mulierum, quam virorum studuisse. Quippe notum est, mares sæpenumero, non minori cum levamine, per hæmorrhagiam narium & ani, sputumque & vomitum cruentum a nocitura sanguinis copia liberari, quam mulieres per easdem vias pariter, ac per oculos, gingivas, dentis elisi alveolum, mammas item ac umbilicum, genua tandem digitosque manuum & pedum &c. lunæ tributum solvere: si scilicet aliquando per consueta loca id nequiverint præstare. Talium inusitatarum evacuationum historias numerosas Moronus, in direct. & Walther in silva med. ex Schenkio, Paræo, Foresto, Bartholino, utroque Lusitano &c. recensent, quibus Ephem. Germ. Molinettus, Harderus in Apiar. alique plurimi addi possunt.

§ XXVI. Nullam autem ejusmodi excretionem abs-

que singulari, & a recepta progressionē atque intestino humorum motu diversa turgescendi ratione contingere, una omnium opinio est, qui de mensium origine solliciti, præter *molem*, etiam ad *qualitatem* vitalis liquidi respiciendum esse volunt. Inter quos Graafius fermentum aliquod peculiare toti sanguini inhærere; Franciscus autem Bayle, diff. de fl. menstr. potissimum in utero foeminae, ad conceptionem habilis, salini quippiam ex massa sanguinis enasci putat, quod pedetentim auctum, per excitatam fermentationem vasa & membranas, in quibus natum est, ad solito maiorem cruoris quantitatem, intra poros suos admittendam, aptat, eundemque iterum, quam primum onerosus sit, una cum magna parte fermenti huius irritantis foras expellit.

§ XXVII. Quæ ingeniose satis excogitata catameniorum causa, etsi omnino uberiori salis huius uterini explicatione, vix aliunde, quam ab autore ipso expectanda, simulque defensione adversus Charletonem, Freindium, aliosque fermenti huius pariter, quam aliorum quorumcunque impugnatores, opus habeat; nondum tamen cum clarissimo quodam viro ideo rejicienda est, quod in tot uteris menstrualium dissectis nullus sanguis fuerit repertus, & in multis aliis κατὰ φύσιν mulierum non per genitalia, sed loca, longe ab his dissita, subinde fiat. Quod si enim Bayleum forsan firmiora suam thesin defendendi præsidia deficerent, pro tempore tamen ea, quæ superius a § XII ad XX, ad experimenta, contra uterum in § X allata, reposuimus, allegare posset, & simul ad objectionem primam respondere, mortuæ matricis siccitatem fermenti in vivente existentiam neutiquam infringere: ad secundam autem receptam illam apud Medi-

cos, inter *focum causa & affectus locum*, distinguendi consuetudinem adducere : cujus intuitu perinde esset, num sanguis, ad fermentationem menstrualement incitatus, per genitalia, aut quamcunque partem corporis erumpat; modo id, quod massam sanguineam fermentat, ex salium familia venire, & focum sui ortus in utero nancisci, inconcussum maneat.

§ XXVIII. Hæc non eo animo in medium afferimus, ut adversus tot clarissimos autores, pro sententia, a mente nostra aliena, insurgamus; qui potius hæc omnia indicta optaremus, si quis sibi aliam ideam, quam libertas academici exercitii permittit, inde fabricaret; vel Autor Examinis institutistici, p. 254, *fermentationem liquoris, in prostaticis foemininis generati, & circa uterum congesti*, fluxus menstrui causam fingens, novo suo partui fomenta ex sententia Bayeliana comparare vellet. Quippe si omnino fermentum aliquod in genitalibus statueretur, quod mensibus non minus provocandis, quam liquori, in glandulis vaginæ coacervatis, quibus Graafius prostaticarum muliebrium nomen dedit, generando inseruiret; vix tamen inde sequeretur, fermentationem succi talis glandulosi sanguinem in uteri vaginæ vasis ad motus menstruales excitare posse; cum hi duo humores non tantum materia & loco generationis, sed motu insuper & tempore eruptionis, ac tandem sine ab invicem longissime recedant.

§ XXIX. Post hæc non lævis difficultas eos premit, qui adæquatam causam periodorum, quas hic mirabilis uterinus æstus in subjectis sanis observare solet, reperturi, coelum suis petunt meditationibus, & ex luna eam deducere conantur: cum Theodori Craanen iudicio, l.

c. p. 716, in coelo atque terra revera haëtenus aliud inven-
tum non sit, præter illud luminare, quod telluri proximum
est, quod suam periodum intra determinatum tempus ab-
solvit, & quod tantas in hac nostra tellure mutationis fa-
cit. Quam sententiam Waldschmidius, in notis ad Ti-
mæi casum I, lib. 4, p. m. 526 & 527, uberius explicatu-
rus, ex lunæ opaco, & terræ nostræ simili corpore subti-
lem aliquam materiam, una cum radiis solaribus, inde
reflexis, semper effluentem, in aërem & foeminarum san-
guinem derivat, quæ ibi singularem fermentationem,
inprimis circa novam atque plenam lunam excitare apta
nata sit; confiditque vir celeberrimus adeo huic opinio-
ni, a Cartesio acceptæ, ut per talia principia quælibet
phænomena, circa fluxum mensium occurrentia, suffici-
enter explicare posse, aliosque, de hac materia agentes,
nihil dixisse, non dubitet asserere.

§ XXX. Sed nondum sibi doctorum omnium as-
sensum impetravit: cum, post Franc. Bayle, exc. Ber-
gerus illos, qui menstruum fluxum lunæ motui alligant,
eumque a variis ejus sideris phasibus, pro ætatis varia-
te, regi atque concitari opinantur, magnopere falli scri-
bat. In qua sententia Helmontium præeuntem habent.
Hic enim, licet l. c. p. 689, humanum sanguinem eo di-
crum spatio, quo luna per zodiacum suos cursus emeti-
tur, renovari, nec ultra tempus istud per suum balsamum
a corruptione conservari tradat; eundem tamen ab isto
sidere accumulari aut expelli, non æque statuit; ut poti-
us, si forsan uteri purgatio lunari cursui congrueret, id
per accidens tantum contingere, nec lunam magis flu-
xum talem excitare asserat, ac navis prætorix laterna se-
quentium navigiorum cursum promovere solet, quem
ven-

ventus potius & clavi rector præstant, laterna tantum noctu viam præmonstrante. Hinc infert porro, omnes foeminas, idem clima incolentes, eodem tempore menstruales fore, si a luna tales fierent.

§ XXXI. Haud equidem ignoramus, quomodo alii præstantes viri, influxum lunæ atque cæterorum siderum in subjectam terram adhuc admittentes, Helmontianum simile claudicare faciant, & quam laboriose sæpius citatus Craanen recessus menstruæ purgationis a lunaris cursus typo excusare studeat: sed nolumus huic, ex sublimioribus principiis declarandæ controversiæ, diutius immorari, aut illis morosius obstrepere, qui ob *incertitudinem* dierum, catameniorum fluxui admetitorum, ipsa a coelesti hoc regimine absolvunt. Nobis enim in præsentia sufficiet scivisse, tritum istud: *novam lunam juniores, adultam autem seniores commovere*, non adeo frequenter fallere, quo minus idiosyncrasiæ individuali, & vitæ generi, imprimis autem regimini diætæ, aliisque occasionibus, sexui valde mobili hinc illinc occurrentibus, adscribi possit, si earum una atque item altera ætati suæ competentem lunæ phasim præteriverit, aut ejus circulo respondentem viginti octo dierum terminum distraxerit vel coarctaverit. Ut proinde haud intelligamus, cur Freindius, l. c. p. 8, negare velit, *lunam, si huic profluvio præesset, omnes mulieres, quibus eadem regio, ætas & temperies daretur, eodem tempore, iisdemque vicibus ad menstrua cituram esse*: cum potius verò prorsus simile videatur, si aliquando duas, vel plures *coætaneas*, eodem aëre & aqua frui, similique sanguinis crassi & temperie pollere contingeret, has quoque, ab externis rebus non turbatas, similes animi & corporis affectiones, humorumque

mo-

motus & excretiones habituras esse. Idque tanto certius, quanto magis a talismodi communi, suosque rythmos constanter observante causa, qualis luna est, excitarentur: & e contrario, si ab illa, vel alio simili humores nostros, & per hos ipsum animum quoque commovente principio recesserimus, admodum difficile futurum sit, causas periodorum explicare, quæ in sanissimis individuis adeo justum ordinem observant, ut quo magis foemina eas anteverterit aut protaxerit cunctando, eo certiores quoque suæ valetudinis a naturali statu declinationes metuendas habeat.

§ XXXII. Neque vero ingeniosæ neotericorum, ex mechanicis & hydrostaticis constructæ demonstrationes, quas varia figura, magnitudo ac situs organorum, varii-que liquidorum in cavitatibus motus, nifusque in seipsos & circumjecta latera ipsis suppeditant, aut ex computatione assumptorum cum perspiratione imminuta, & quantitate sanguinis, in corpore præsentis, perque menses inde secernendi, instituta eruuntur, animos, sciendi cupidos, exsatiant; cum, *quomodo* cuncta & *quare* fiant, bene doceant, ex solo mechanismo autem, similibusque mediis instinctorem talismodi motuum ægrius exponant.

§ XXXIII. Missis igitur hisce, ad finalem causam mensium, propter quam natura excretionem ejusmodi instituit, accedimus: cum inde potissimum status controversiæ, nostrique thematis decisionem, & mentis divi Senis declarationem expectemus. Patet autem ex antecedentibus, per motus hosce críticos imminutionem ejus, quod superfluum in corpore existit, intendi, ne onerosum noxiumve evadat, & plurima incommoda, nimis parcum & suppressum *ἴαν μὴνῶν* fluxum excipientia, excludat.

dat. Est hic finis internus & immediatus, cujus respectu omnes reliqui, ab aliis huc tracti, non nisi in externorum subselliis subsistere coguntur, dum vel non de quibuslibet subjectis, nec de quovis tempore prædicari possint. Ex multis horum duos tantum potiores adducemus; quorum prior est, ut uterus, a copiosius adducto sanguine, vitali humido & calido largiter imbutus, ad conceptionem præparetur, & justo tempore, simul cum universo corpore, per excretionem abundantis liquidi, a multis sordibus purgetur. Alter solum foetum respicit, ut ipsi, a puncto saliente, usque ad instantis partus tempus, sufficiens nutrimentum suppetat.

§ XXXIV. Haud desunt equidem, qui adversus primum finem insurgentes, ex catameniorum, in bene valentibus, colore concludunt, floridum ejusmodi cruorem sordium nomine indignum, ejusdemque potius cum reliquo, in corpore manente, bonitatis esse. Deinde nec emissionem ejus ad conceptionem absolute necessariam videri: cum multæ, antequam menses patiuntur, imprægnentur; imo aliquæ foecundæ matres nunquam menstruales fiant. Sed facile est ita loquentibus respondere: a plethora ad cocochymiam planam viam esse, & quod mole in corpore humano peccat, recte inter vitiosa numerari, solaque mora naturam sordium acquirere: nec porro rara illa, sine *γυναικείois* concipientium exempla, plus roboris adversus statum naturalem obtinere, quam monstris, ad theoriam operationum, secundum naturæ leges rite procedentium, evertendam tribuere solemus. Certiores tamen mensium in fertilibus absentia nos facit, naturam in talibus subjectis, æque ac in brutis, (a quibus humanum genus, quoad plerasque functiones

naturales atque vitales, ne latum unguem, aut magis, quam unum inter homines individuum ab altero recedit, differre solet) sine sanguinis excedente quantitate generationis negotium absolvere; in quibus, ut dudum § XXIV indicatum est, tantum tempore *ὀργασμῶν* veneri genitalia humiditate turgent, & sanguinolenta fiunt. Qualia num in mulieribus etiam evadant, curiosis physiologis scrutari competit, simulque annotare, an id stato tempore contingat: cum mensibus obnoxias paulo ante & post horum fluxum, ob rationes, in præcedente § adductas, ad conceptionem, imo ad partum etiam eo tempore, quo ante gestationem menstruales esse solent, aptiores esse constet.

§ XXXV. Idem defectus purgationis menstruæ, & facultas, sine illa multos sæpe foetus simul alendi, bestiis data, non paucos permoverunt, ut alterum; a nobis allegatum mensium finem, in dubium vocaverint. Inter quos Helmontius Scholas, ubi de menstruo, tanquam foetus nutrimento sunt locuti, ex contemptu, *plurima garrivisse* scribit. Cui accedunt, qui Hippocratici effati, *foetum dulcissimo nutrimento ali*, memores, a menstruo recedunt, quia, a Plutarcho, Fernelio, & aliis pluribus, ipsoque Helmontio seducti, in eo venenatum quid formidant. Alii commercium sanguinis materni cum foetu negant; quia nullas anastomoses vasorum vident: rursusque alii per exempla, apud Albertum magn. Fernelium, Schenkium, Rhodium, Tulpium, Hildanum, Bartholinum, Timæum, Kerkringium, Bourgois, Bohninum &c. inventa, teneras puellas pariter jamdudum quarto, sexto, octavoque, ac vetulas septuagesimo & octogesimo ætatis anno menses edidisse, ostendere conantur, naturam non
atque

æque nutritionem aliquam per accumulationem sanguinis intendere: cum in ejusmodi subjectis nulla, præter ejus copiam aut acrimoniam, uterinæ cruentationis causa, ne perfictionem quidem, admitti possit.

§ XXXVI. Sunt contra ea alii, qui cum Franc. Sylvio, lib. 3, Prax. c. 3, p. 485, conqueruntur, sententiam, ab omnibus receptam, materno sanguine foetum ali, suo demum tempore in dubium vocatam esse; quamvis nullæ rationes, aut evidentia experimenta, eam evertentia, occurrant. Hi argumenta, quibus veterum asserta stabiliri putant, potissimum ex suppressione mensium, post conceptionem contingentem, sumunt, & quod nulla in istis foeminis foecunditatis spes supersit, quæ per ætatem, aut quamcunque causam aliam, lunari huic tributo persolvendo impares evadunt. Addunt insuper, in plerisque matribus, quamdiu suos foetus lactant, uterum siccum manere, eundemque rursus cruentari, quamprimum sanguis, menstruum constituens, non amplius in lactentis nutrimentum impendatur.

§ XXXVII. Ne ulterioribus invicem disputantium argumentis diutius immorando, & singulorum valorem decenter perpendendo, a scopo longius vagemur, linquimus Helmontio sua scommata, mensiumque sanguinem, secundum naturam se habentem, & ab omni veneni reatu dudum per prudentes viros vindicatum, neque in personis, in penultimo § citatis, neque in ipsis gravidis digniorem, quam in § VI acceptam *excrementi* appellationem sustinere credimus. Dum enim tota MS, alimentaris vehiculi munus gerens, per arterias puram, & Hippocratico sensu, *dulcem* nutriciamque gelatinam ad omnes partes corporis deduxit, mox per venosa vasa ad continen-

dit; donec pars ejus, *corpori inutilis, tempore menstruo*, foras projiciatur in plerisque foeminis. Hæc eadem post conceptionem, per totum gestationis tempus, in vasa & substantiam matricis cumulatur, ut post partum demum *lobiorum* nomine egrediatur. In multis autem aliis ipsa hæc cruoris portio, vel ob peculiarem suam crasim, vel certam uteri structuram, minime tamdiu asservari potest; sed vel justa suæ excretionis intervalla retinet, ut gravida æque menstrualis maneat, ac fuit, antequam conciperet: vel natura, nullis terminis sese alligari patiens, toties id, quod superfluum est, expellit, quoties molestum esse incipit. Fiuntque omnes tales motus cum euphoria individui, & prudentem adstantium ipsiusque Medici attentionem postulaut; ne falsa imagine periculi, ex gravidarum mensibus timendi, decipiantur, & intempestive illos cohibendo, majoribus sanguinis per uterium, vel loca alia eruptionibus, aut embryonis suffocationi ansam porrigant.

§ XXXVIII. Arduum igitur videtur definire, cui bono in plerisque gravidis tanta collectio humoris fiat, quæ matri mole sua & distensione pororum ac vasorum uteri, adeo molesta est, eamque tot torminibus post partum, aliisque symptomatibus periculosis subjeit, si minus tempestive expurgatur. Quicquid enim de nutrimento foetus passim circumfertur, non eadem æquitate animi ab omnibus admittitur: ut potius salino-sulphureus hic liquor, per continuatum motum circularum, & intestinam digestionem, sui generis fermentationem, ad purpureum nitorem exaltatus, physiologis quibusdam non magis ad materiam alimenti, intra uterum constituendam, quam extra hunc in mammis ad lactis generationem aptus censeatur. Neque ipsis probabile videtur,

tan-

tantam quantitatem sanguinis, lochiorum more, post enixum effluentis, adhuc superfuturam esse, si eodem embryo sustentaretur: cum ista purgamenta catameniis, per novem menses expurgandis, sua mole adeo respondeant, ut si hæc ante conceptionem largius aut parcius prodierint, istorum quoque major vel minor copia conspiciatur. Id quod etiam iis accidit, quæ durante gestatione sæpius aut rarius menstruales fiant: ut proinde, nunquam ejusmodi καὶ θάλασσαν expertæ, post partum sua genitalia fere sicca retineant, instar brutorum; quorum organa, tam nobili operationi inservientia, cur Autor naturæ, præ humanis, ante conceptionem pariter, ac post editos proles magis munda, minoribusque incommodis subjecta esse voluerit, aliis rimandum damus.

§ XXXIX. Nos enim, tædium B. L. timentes, vella contrahimus, cum cognita jam mensium natura, materiaque & fonte eorum, cum fluxionis causa atque usu explicatis, satis patere arbitremur, *mensēs gravidarum foetui innoxios* esse posse: cum ostensum sit, (1) sanguinem ejusmodi in corpore superfluum esse, & (2) potius excrementum partium nutritarum, quam alimentum foetus dici; neque etiam (3) eruptionem ipsam embryoni, intra suas tunicas concluso, periculum minari: cum vel, clauso manente utero, ex vagina sola, vel simul quoque ex cavitate ejus ipsa, per vasa, a placenta libera, possit fieri, & (4) tandem quotidiana experientia rem confirmet ipsa.

§ XL. Est proinde, cur Medicus sedulo omnes circumstantias, ex subjecti *habitu, crassi humorum, vitæ genere, usu rerum nonnaturalium, excretionumque*, secundum

naturam se habentium, conditionibus petendas, consideret; ne quos natura motus in nonnullis individuis critique, & in salutem corporis instituit, pro nocituris habeat eosque intempestive supprimendo, ex bene valitura foemina ægrotam faciat, & foetum, quem servare cupit, perdat. Hinc dabit operam, ut *mensēs ab hæmorrhagia uteri* distinguat: quod factū isti minime laboriosum erit qui ad modo recitata observanda animum advertet, iisque virium examen etiam adjunget, nec ex sola mole ejus, quod excernitur, judicium formabit, aut Galenum hoc in passu cum multis aliis sequendo, ex *καθάρσις* vocabulo, in plurali numero, ab Hippocrate in nostro aphorismo usurpato, & ex *ἡ πορεύσασα* *largam & impetuosam* aliquam effusionem sanguinis concludet: cum nihil horum per istas loquendi formulas a Coo indigitari mox sequens aphorismus clare doceat, stansque *inter hæmorrhagiam uteri naturalem* atque *praternaturalem* distinctio omnem litem tollat.

D. S. L. H. E. G. I. S. S.

